Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sed ut scientiam edificat. Quanta enim sit delectatio et caritas eter-
norum et contemptus temporalium in sapientia. duo ostendit. loquens de
ea et de libero arbitrio. ita. xviii. xviii.

Ex quo incipit homo precepti esse capax. ex illo incipit pos-
se peccare. Duobus autem modis peccat. antequam fiat sapi-
ens. si aut non se accommodet ad accipiendum preceptum. aut
cum acceperit non observet. Sapiens autem peccat. si se averte-
rit a sapientia. Sicut enim preceptum non est ab illo cui precipitur. sed ab il-
lo qui precipit. sic et sapientia non est ab illo qui illuminatur. sed ab illo
qui illuminat. Quid de eo? queso unde non laudandus sit hominis creator?
Bonum est enim aliquid homo. et melius quam pecus. ex eo quod capax est
precepti. et hoc melius. cum iam preceptum ceperit. rursus hoc melius.
cum precepto paruit. et his omnibus melius cum in eterno lumine be-
atus est. Peccatum autem et malum. in negligentia vel accipien-
di vel observandi precepti. vel custodiendi contemplationem sa-
pientie. Ex quo intelligitur. etiam si sapiens primus homo factus est. po-
tuisse desipere. Quod peccatum cum esset in libero arbitrio. iuste
pena consecuta. Ita et dicit apostolus. dicentes se sapientes stulti
facti sunt. Superbia enim avertit a sapientia. aversionem autem stulti-
cia sequitur. Stulticia quippe cecitas quedam est. sicut idem dicit.
et obscuratum est insipiens cor eorum. Unde autem hec obscuratio.
nisi ex aversione a lumine sapientie? Unde autem hec aversi-
o. nisi dum ille cui bonum deus est. sibi ipse vult bonum esse suum. sicut
deus sibi est. Itaque ad me ipsum inquit conturbata est anima mea.
Et gustate et eritis sicut dii. Turbat autem considerantes quod ita
queritur. Stulticia primus homo recessit a deo. an recedendo
stultus factus est. Quod si responderis. eum stulticia recessisse a
sapientia. videbitur stultus fuisse. antequam recederet a
sapientia. ut stulticia esset illi causa recedendi. Item si
responderis recedendo eum stultum factum esse. queritur utrum
stulte an sapienter fecerit quod recessit. Si enim sapienter fe-
cit. recte fecit. nichilque peccavit. Si stulte. iam erat inquiunt